


Laß diese liebe Stadt in vollem Wohlstand blühen:  
Laß Kirch und Regiment in gutem Wachsthum  
stehn!

Laß von dem Nahrungs-Stand das Ungelück abzie-  
hen:

Laß uns nach vielem Leid auf lauter Rosen gehn!  
Erhalte diese Schul zu deines Nahmens Ehren:  
Steh Lehr- und Lernenden mit lauter Gnade bey!  
Laß Glück und Heil von Tag zu Tage sich vermehren:  
So sind wir danckens voll: so sind wir Sorgen frey!



*Apophoreta Propemptica,*  
Generosis Adolescentib.

11. *boz.*  
DN. GEORGIO ET  
DN. MAXIMILIANO

*Libb. Baronn. à*

SEBUSINA, &c.

*Frr. Germann.*

Nobiliss. item & præclaræ Indolis  
Adolescentib.

IOHANNI CAMETZKY  
de ELSTIBORZ, &c.

IOHANNI GEORGIO POLTZ,

&

GEORGIO KLAINSTRÄTEL  
à IAGENHORN, &c.

*Musis GORLICENSIB.*

VALE

Supremum dicentibus

*Dono data*

ab

ELIâ CÜCHLERO, M. & Poëtâ, ejusdemq̃s  
Gymnasij Præceptore.

*ad X. Cal. IXbr: Ann. O. R. M. DC. IV.*

Exscribebat Ioh. Rhamba Typographus Gorlic.

47-3  
44087





*Apophoreta Propemptica.*

*Ad Generosum Dn.*

GEORGIVM L. BARONEM  
à SEBUSINÂ, &c.

*Seneca Epist. 124.*

*Inter causas malorum nostrorum est: quòd vivimus ad exempla: nec  
ratione componimur: sed consuetudine abducimur.*

**R**gò SEBUSINI Flos & Dos ampla, GEORGI,  
Sanguinis, ad patrios mens sedet ire lares:  
Aoniisq; sacros nostris Charising, recessus  
Linquere: nec nostri te remoratur amor?  
Non rigor Autumni silvæ populatus honorem  
Terret: & albenti picta pruina comâ?  
Fallor an ingenii vigor ad maiora vocantis  
Te nostrâ ulterius sistere sede vetat?  
Aut & multiplici iubet usu acuenda Phronesis  
Non eâdem semper neetere in urbe moras?  
Sed mores vidisse hominum populosq; remotos  
Sisyphidæ exemplo, grandis Homere, tui.  
Quicquid id est cause: tibi fata benigna secudent,  
Quamcunq; ingrederis, Laude trahente, viam.  
Nos te prosequimur votis: id nempe, GEORGI,  
Obsequio & nostri semper amore meres.  
Fas erat: & sanè non desit hic ardor: amoris  
Ut nostri aeternum pignus habere queas.  
Sed res arcta negat: quæ pauper Musa ministrat,  
De Seneca scitis munera lecta damus.  
Aurea sunt vita, quæ dat præcepta regenda:  
Illa tibi magni muneris instar habet.

Plena malis vita est: rem lance expende: malorum  
Tot tibi qua tandem maxima causa patet?  
Scilicet exemplis aliorum vivitur: actus  
Verà discedunt à Ratione procul.  
Consuetudo potens quævis inflectere, mores  
Iuxta virventum fingit ad imperia.  
Trita frequensq; via est, ad amici accedere mores:  
Trita sit atq; frequens hac via, crimen habet.  
Si pauci facerent: imitari, sat scio, nolles:  
At plures faciunt: ergo decere putas.  
Sectariq; lubet, quia nempe frequentius extat:  
Inde locum recti publicus error habet.  
Horum, quicumq; ad nutus flectuntur amantum,  
Blandisonas voces imperiumq; cavet.  
Hi vitia tradunt, aliòq; aliunde remittunt:  
Horum damnosus sermo nocere potest.  
Ut minus à primà videatur fronte nocere:  
Plurima rellinquit semina mente mali.  
Et sequitur, vel ab iis discedas, usq; renascens  
Lernèi ut monstri colla renata, malum.  
Sicut, qui Harmonia modulamen suavius haurit,  
Blandisonum assiduà carmen in aure gerit  
Quod Mentis, veniens inter crebra, impedit actum:  
Et minus intendi seria ad ausa sinit:  
Sic & adulantum & laudantum pessima sermo  
Longius auditu mente tenace manet.  
Nec facie est animo dulcem excussisse sonorem:  
Ex intervallo sæpè reversus adest.  
Ergò malis occidenda sunt vocibus aures,  
Vel primis etiam, quas feret ore Colax.  
Nam semel admissa plus audent: non mora longa est:  
Cum delinit à hac protinus aure bibes.  
Virtus, Iustitia studium, Sopi eq; cupido,  
Sunt nugæ: & rerum nomen inane crepant.

Libertate

Libertate suâ gaudere, admittere quodvis  
Pro libitu, patrias promere rursus opes,  
Hic felix apex vitæ: benè vivere id ipsum est:  
Hocce est mortalem se meminisse fore.  
Tempora labuntur: vita velocius Euro  
Diffugiunt nullâ vi remorante, dies:  
Et dubitabis adhuc facere, ut fecisse iurabit?  
Atq; voluptates, dum petit atq; potest,  
Ingerere ætati: qua languens deinde senectâ  
Rursus abhorrebit sæpè cupita prius?  
Frugalem quid sponte iuvat præcurrere mortem?  
Et qua mors tollet, abstinnisse bonis?  
Non tibi Thais erit litem motura Neæra?  
Non erit ad nutus obsequiosa cohors?  
Siccior à cæna prodis Zenone vel ipso:  
Macte, probas patri scribis Ephemeridas.  
Oh qui sis talis, ne te tibi vivere dicas:  
Est hac felici dissona vita viro.  
Quis furor heredi comparcere multa: negare  
Cuncta sibi: ac odiis vertere amicitias?  
Ut tibi progenies canentis seclâ senectæ  
Invideat, patrii spe furibunda lucri.  
In patriis quo plura bonis invenerit heres:  
Lasior hoc subito funere patris erit.  
Istos censors morum rigidosq; Catones,  
Et quos deletat triste supercilium,  
Rodere cuncta hominum natos, ne feceris assis:  
Vita quàm fama sit tibi cura prior.  
Claude catus, ne qua talis vox vulneret, aures:  
Sirenium haud alios crede fuisse sonos.  
Has voces fugito: veluti Sirenas Viyssem  
Assrictum malo præterisse ferunt.  
Non minor hisce subest violentia vocibus: æquè  
A patrii abducant pectus amore soli:

A 3

Et, quos

Et, quos indulgit Natura, parentibus ipsis:  
Atq; ab iis, quibus nos glutine junxit amor.  
A virtute trahunt scopulorum in devia saxa:  
Et vita in Syrtis atq; Charybdin agunt.  
Quanto isthoc satius, vestigia vera secare:  
Vt prater Pulcrum nil fore dulce putes?

Hacce rudi cecinit, Sanguis Generose, Minerva à  
Pieris: extremum hoc munus habere dedit.  
Hac tu sume manu dextrâ: qua dextra feruntur:  
Olim tempus erit cum meminisse juvet.  
Cum te blanditiis allegerit aulica Syren,  
Illa Voluptati postpositura Decus.  
Porro precor: quocumq; feres te: Iova Deum Rex  
Faxit felices esse redisse vias.  
Seu Celtas adeas: seu regna Oenotria visas:  
Sit turba alipedum duxq; comesq; via.

Ad Generosum Dn.

MAXIMILIANVM L. BARONEM  
à SEBUSINÂ, &c.

Seneca Ibid.

In voluptates descenditur: in res duras & asperas subeundum est. Hic  
impellamus corpora: illic refrenemus.

**S**ED te supremo affatu, quo munere matrem,  
Altera Dos patria, MAXMILIANE, Domus?  
Nil adeo est: nisi quid Parnasi è vertice Musa  
Sufficiat: cuius totus amore flagras.  
Cuius & ascensu superasti sepè cacumen:  
Dum te Nisiadum culta Lycæa vident.  
Sed quid Parnasi bifido de culmine tandem  
Ingenio dignum Musa datura tuo?  
Vile quid: at magni pulcrâ conaminis umbram:  
Quæ juvenis vitam fingere norma potest.

Diversos

Diversos habitus cernis superare volentum  
Culmina: quiq; pedem rursus ad ima ferunt.  
Quibus via per pronum est, resupinant corpora: contra  
Incumbunt, quibus est ardua versus iter.  
Nam si radices descensu attingere tendas,  
Corporis in pronum vergere mole gravi,  
Et si summa petas juga, retro abducere corpus:  
Erroris neutrum labe vacare puto.  
Diverso hoc habitu Virtus simul atq; Voluptas  
Pingitur: haud melius Couis & ipse queat.  
Turpe Voluptatum facilis descensus in antrum:  
Pulcra sed ascensu difficile abdit iter.  
Hic impellamus torpentia corpora oportet:  
Illic sunt frenis, sunt reprimenda iugo.  
Hac tibi grassanti per iter Virtutis (imago  
Parnasi quoties mente relecta redit)  
Calcar ad egregios ausus præclaraq; facta  
Addent: hæc frenos turpibus injicient.  
Quo pede cæpisti, in laudes perge ire paternas:  
Fortiter annisum numina dextra juvent.

Ad Nobiliss. Adolescentem

IOHANNI CAMETZKY DE ELSTIBORZ.

Seneca Epist. 11.

Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus:  
ut sic tanquam illo spectante vivamus: & omnia tanquam illo vi-  
dente faciamus.

**H**æcenus antiqui & generosi sanguinis heres  
Iane, ad Pieridas vera & virtutis honorem  
Dum moliris iter: doctosq; frequente Magistrum  
Aure bibis monitus sacri sub sede Lycæi,  
Hic ubi Nisicolum muris Parnassia rupes  
Imminet, adversamq; aspectat desuper urbem:  
Haud dubito: quin multa tibi sint condita mente

Fontibus

Fontibus hausta Sophon vita praecepta regenda.  
 Ne tamen, à nobis dàm te pia cura parentum  
 Retrahit in patriam, discedas munere cassus:  
 En tibi de nostris thesauris aurea vita  
 Regula: quam manibus crebrò, quam mente revolvas.  
 Rectius ut vivas: nec te divortia multa  
 Praecipitem in tesqua abripiant, mergentq; periculis:  
 Vir bonus est aliquis numero quarendus ab omni:  
 Assidua ante oculos tibi cuius imago recurset:  
 Ut sic instituas vitam, ac si cerneret ille  
 Coràm oculis quacunq; paras: egeresq; severus  
 Censuram auctorum vera ad Rationis amissim.  
 Sit breve praeceptum: tamen usus ferè multus est.  
 Namq; tibi ceu custodem vitæq; magistrum  
 Adyicit: & meritò. Peccandi maxima nempè  
 Tollitur illecebra: & noxa praeciditur ansa:  
 Turpe quid ausuro assistat si testis & index:  
 Conspicuumq; animus merito & pietate virum quem  
 Infixum penitus sibi, quem vereatur, habesit:  
 Cuius ad insutum trepidus nihil ausit iniquum:  
 Sanctius & faciat, secretò quicquid habebat.  
 Felicem qui non tantum sic corrigit actus:  
 Verùm etiam tacite furiosa silentia mentis?  
 Verè felicem qui, quem sibi legerat omnis  
 Artificem vita, tacito sic corde vereri  
 Est potis: ut, quoties reperta revertit imago,  
 Componat mores ad normam & ritè resingat!  
 Hac quicunq; potest aliquem ratione vereri:  
 Est mora parva, bonis cum fiet & ipse verendus.  
 Ergo, ni terret facies austera, Catonis  
 (Quem sceleris purum testatur publica fama)  
 Aut Lali similem, si fortè remissis quadam  
 Gravior est animo, nullum de face popelli  
 Selige sed cuius proba sint oratio, vita:  
 Illius & vultus animumq; tibi antè ferendo

Exemplum

Exemplum propone tibi, propone magistrum.  
 Quicquid agas, aliquo est opus, ad quem se erigat omnis  
 Nostrorum ratio morum: nisi regula quædam  
 Sit præstò: pravum frustra correxe laboras.  
 Hoc tibi munus habe nostrum: & si, IANE, meremur,  
 Quo te canq; loco Virtusq; Deusq; locabit,  
 Fac, ut fixa tuis nostri sit imago medullis.

Ad Nobiliss. Adolescentem,  
 IOHAN. GEORGIVM POLTZ.

De illo Virgilij:

Optima quæq; dies miseris mortalibus ævi

Prima fugit, &c. Seneca Epist. 109.

Primus quisq; tanquam optimus dies placeat: & redigatur in na-  
 stium. Quod fugit occupandum est.

**A**ntè pererratis nostra quàm finibus ora,  
 Hic ubi Parnasi bifido discrimine cælis  
 Sese ostentat apex, emigres, IANE GEORGI,  
 Progenies POLZI, illustrem quem nomine & arte  
 Famâq; & meritis dubio in discrimine rerum  
 Curia consiliis adhibet collecta Quiritum:  
 Fas tibi sit mecum Aonios lustrare recessus,  
 Atq; Maronis opes, quas vocibus occulit hisce  
 Explicitas coràm & manifestâ in luce repostas  
 Luminibus mentis, Senecâ evolvente, tueri.  
 Nam quæ Grammatici carpunt libamina ab istis  
 Floribus: illa locis aliis dicenda relinquo.  
 Quæ sibi decerpit Sapientia verior, illo  
 Thesauro legimus. Nec enim diversa probari  
 Diversis animis mirabere rebus in iisdem:  
 Prato eodem taurus, canis, at vena veris oberrant:  
 Anguem ales, leporem canis, at bos queritat herbam.  
 Sic alia ex aliis, quâ quisq; cupidine fertur,

B

Litas:

Libat: nos anima decerpimus aurea dicta,  
Aurea degens precepta salubria vite.  
Iamq; age Musa mihi memora, quo nomine dicat,  
Optima quæq; dies? Num quod restare videtur,  
Omnibus incertum est? an quod dum flore iuventa  
Fervet adhuc, solidaq; suo stant robore vires,  
Moribus ingenium studiisq; polire decoris  
Possumus: atq; animum qui flesti cereus, atq;  
Tractatu facilis meliora inflectere ad orsa?  
Sive quod etatis flos iste laboribus aptus  
Per studia ingenium patitur diversa domari:  
Atq; exercitius ingentia corpus ad ausa  
Durari: superest quodcumq; volubilis ævi,  
Segnius & veluti languore remissius agrum  
Pone subit: propiusq; a fine videtur abesse.  
Hoc ergo totis animis, quod oportet agamus,  
His, quo sæpè via abducunt divortia, omisis.  
Unum opus in vita primum labor occupet omnis:  
Non quod amor suavit: sed quod fecisse necesse est:  
Nullum tempus iners abeat: ne deinde relictus  
Deplores serò properatos ocylus annos  
Antè fugace pede elapsos, quàm senseris ire.  
Sed quid Prima dies? meliora fugaciùs hora  
Cuncta ferunt primùm: post deteriora sequuntur.  
Non secus ac primò quod purius, effluit urna:  
Turbida materies imòq; gravissima fundo  
Subsidit: sic etatis pars optima nostra  
Prima meret dici. Quanta est dementia primè  
Florem ævi studiis aliis impendere? fecem  
Velle reservatam sibi? Discite, dum viget ætas,  
Hoc agere, o juvenes: placeant hac aurea dicta,  
Non minus ac Phæbi cortinà oracula missa:  
Optima quæq; dies miseris mortalibus ævi  
rima fugit. Quo deinde Fugæ mihi mentio? cur non  
re dies dicit? Fugit irreparabile tempus,

Sapius

Sapius ingeminat. Velocior altera non est  
Currendi ratio: fugiens volat ocylor Euro,  
Si quando trepidis pedibus timor addidit alas.  
Præcipiti ergo fugâ nullâ revocabilis arte  
Temporis admoniti: non, quod pleriq; sùerunt,  
Dimidium vita somno laxemus inertis:  
Sed vigiles oculos furemur sæpè Soporis  
In requiem haud faciles: vite abscessisse putemus,  
Quod sopor eripuit: nullos aduisse labores  
Tadeat: ut tempus fugiens aquare sequendo  
Detur, & haud longo spacio à fugiente relinqui.  
Nè rapido cursu insequeris, fugit anteq; vertit  
Pigrum impigra dies: stadiosq; relinquit inertem.  
Prima dies igitur velut Optima quæq; probetur,  
Sumaturq; manu gratâ: nostrisq; subacta  
Illa ministeriis operâ decurrat eadem:  
Qua fugit, hanc labor atq; industrius occupet ardor.  
Parva mora est, Subeunt morbi tristisq; senectâ:  
Quin immò nondum sparsis lanugine malas,  
Pollicitisq; secutura spacia ampla iuventa,  
Iam supra caput est, rugis deformior ætas:  
Tempora qua turpat nivibus, luroreq; dentes:  
Corporeasq; trahit secum longo agmine pestes,  
Ipsa sibi morbus, succo haud curabilis ullo.  
Hæc tunc hæc mecum lustrata Maronis in arvo,  
POLZIDE, memori figas sub mente reposta.  
Quò te cunq; vocat Genius maiora secutus,  
(Sidere quod fiat dextro, precor, & duce Iovâ,  
Cum questu ingenii & doctrinæ divite messè)  
Hoc nostri extremum affantis tibi sæpè recurset  
Alloquium: precepta tenet non prodiga veri.  
Omnia qua nobis rerum est largita creatrix  
Sunt aliena: nec in nostris ea rebus habenda:  
Temporis unius, qua res vaga, lubrica, fluxa,  
Perpetuo in motu, nostra est possessio: cuius

B 2

Quantum

Quantum surpuerit studio sibi quisq; fideli:  
Impiger ad proprios tantum sibi vindicat usus.  
Quaecunq; eripitur subductaq; defluit hora,  
Aut nihil, aut prauum aut aliena negocia agenti;  
Non ea nostra fuit: sed nos neglecta reliquit.  
Temporis ut sancta est custodia: sic vice versa  
Iactura amissi est turpissima, deside facta  
Pigritie: nullâ reparabilis arte vel arvo.  
Praesentes igitur complectere non piger horas:  
Quodq; queas hodie; seros ne differ in anno:  
Iniicienda manus hodierna est: crastina ne te  
Spe laetet: vitam dum differs: acta recessit.  
Hoc semper reputes: In tundo parcere serum est.

Ad Nobiliss. Adolescentulum  
GEORGIVM KLAINSTRÄTEL  
à IAGENHORN, &c.

Seneca Epist. 95.

Nulla res magis animos honesta induit, dubiosq; & in prauum inclinantes  
reuocat ad rectum: quam bonorum virorum conuersatio.

**N**EC tu Nisi adum sede indotatus abibis:  
Indolis id potuit probitas meruisse, GEORGI,  
Vel Patris officium: qui Martia digerit orsa,  
Consiliisq; iuvat felicibus arma cruentos  
In Turcas, Nomadasq; truces, Dacosq; movenda:  
Hic ubi Paonia Scythia seruit Marte per arua.  
Sed mihi quo tandem donatus munere abibis?  
Nil potis augustum promittere curta supellex:  
Sentio namq; ferè par cum Simonide fatum,  
Cui gemina arca fuit, charitum una, sed altera censûs:  
Ex hac parca manus depromsit commoda vita:  
Obsita at illa situ, fuit illi semper inanis.  
Quod satis est, modicè censûs mihi suppetit arca:

Vnde

Vnde sed existat largiri copia? si qua est  
Gratia, rara venit: charitum vacat arcula semper.  
Ergo hunc ingenii fetum (meliora negat Sors)  
Dicere seu maioris numeros, donamus habere.

Trita crepat vulgi vox ore, nec absona vero:  
In riguis quo consurgit generosior hortis  
Plantula, cum flore hoc frugem maturius edit:  
Sic tu, dum teritur tibi panè puertia prima,  
Indolis egregia & naturâ ad maxima facta  
Indicium facis: & primis vigor entheus annis  
Emicat, ad virtutis agens templa aurea alumnum,  
Guncelio praeunte viam doctôq; bonoq;  
Guncelio Peithûs Charitum atq; Themistos amore.  
Hoc iter ut peragas felicibus & duce iouâ  
Perficias: haec profuerint tibi dicta supremum.

Nil magis egregios animos accendit Honestis:  
Nil habitum Decoris felicibus induit eisdem:  
Atq; alternantes in prauum ad recta reducit:  
Quam cupere alterius commercia mutua: qui vir  
Sit bonus, egregiè Sapiens & amator Honesti.  
Crede mihi, pendere Boni narrantis ab ore  
Assiduè: hunc oculis gestare frequenter, ad ima  
Pectora descendit: stimulos quoq; mentibus addit,  
Non minus ac monitor crebris hortatibus instans.  
Hoc etiam mirere magis: quanquam abdita causa  
Non patet: occursu Sapiens prodesse valebit:  
Estq; aliquid quo proficias, meliorq; reuertas  
A Sapiente, viri vel non sermonibus usus.  
Nec facile expediam verbis, tibi quomodo proficit:  
Sed iuuisse tamen Mens percipit atq; fatetur.  
Inuenias, ut ait Phædon, insecta minuta:  
Quorum, cum mordent, ictum non senseris antè,  
Quam tumor insolitus morsum arguat atq; venenum:  
Sed nec & ipse tumor vestigia vulneris ulla  
Praefert: usq; adeò fallax vis ladere virtus.

B 3.

Sic

Sic usu veniet, consortia crebra Bonorum  
Ut tibi profuerint: cum non deprehnderis unquam:  
Quo prodesse modo tibi vel quo tempore possent:  
Sed servisse tamen vel ab ipsa colligis usu.

Ergo tibi infixum sit & imis usq; repostum  
Sensibus: ut quaras commercia sancta virorum:  
Quos & mens Sapiens & amor commendat Horresti:  
Inde Boni facile assumes habitumq; coloremq;:  
Ut molitus iter sub Sole ardente viator,  
Quamvis non hoc agat, fuscum trahit ille colorem.

Sed quid ego monitis te abeuntem demoror ultra?  
Vade tuâ felix pietate: & ubiq; locorum,  
Ad quacunq; rapit te laudum immensa Cupido,  
Fac, vereare Viros virtutum laude bonisq;  
Ingenii insignes: ac iis herere labora:  
Sic erit: ut patrii Virtutem nominis aques.

Ad Doctrinâ & Virtute politissimum

DN. ABRAHAMVM GVNCELIVM,  
Generosorum & Nobill. adolescentum  
Informatorem.

Seneca lib. 1. c. 5 de tra.

**A**dicerem, & merito, nostri testamen amoris,  
Qui nostros, ABRAHAME, animos ferrumine junxit  
Candidiore: quoad communes hausimus auras.  
Hac præcepta tenuis dedimus: quorum indiget atas  
Liberior, nec iudicio firmata nec usu.  
At quid præscribam tibi ego Caducifer infans?  
Nil sanè video. Quid enim divina PanatI  
Secta habet, aut Seneca sinuosa volumina, quod te  
Possè latere putem, quid scrinia docta Platonis?  
Omne pererratum est doctrinae littus: & omnis  
Præceptus locus: ut dignum nil mente polita

Reppe-

Repperiam: Medici nisi quid doctrina theatri  
Subijciat: gratum tibi quod reor esse futurum,  
Venturig; a vi, sic auguror, usibus aptum.

In levibus viciis, cum languor membra fatigat:  
Non multum assiduâ de consuetudine victus  
Inflexisse solet Medici solertia prima:  
Sed dapus & potus certos præfigere fines,  
Atq; exercitia exactâ compescere lege:  
Ac aliquâ tantum mutare ex parte diatam:  
Si revocare queat tali ratione vigorem.  
Proxima lex Medici est: Modus ut medeatur opemq;  
Adferat agroti. Si nil jam proficit ordo  
Atq; modus: ratio suadet subducere quadam:  
Liberiusq; merum prohibere dapesq; nocivas.  
Quod si nec dum etiam cura spes annuit isti:  
Abstinnisse cibis jubet: & sic corpus inanit.  
Mollia si frustra cedant medicamina: venam  
Incidit ferro: tum si qua tenacius hærent  
Membris: qua late diffusâ peste per artus  
Vel contagio nocent; ne pars sincera trahatur,  
Impiger ille manus affert atq; admovet ensem.  
Nec quod opus durum censetur sive cruentum:  
Quod pestemq; fuget referatq; in membra vigorem.  
Sic decet & Legum custodem, qui regit urbem  
Iure suam, pœnasq; viris & præmia ponit,  
Dum licet atq; potest, verbis, & mollibus hisce  
Curare ingenia: ut qua sit fecisse necessum  
Suadeat: utq; animis non jam pugnacibus ultra  
Iusticiæ insigat stimulos verig; Decoris:  
Quò discant odisse malum Virtutis amore,  
Qua sibimet præcium mercesq; sit ipsa: Deinde  
Cum viciig; odium & præcium virtutis inhæret,  
Oris tristitiam præ se ferat: atq; minacem  
Assumens vultum, dictis obiurget amaris,  
Intonet, increpitet, verbis & crimen acerbet.

Fix



Vix tandem, cum non spondet medicina salutem,  
Ad pœnas, sed & hæc leves facilesq; feratur,  
Quas possit revocare: nocens si corrigat orsa.  
Supplicis scelera extremis extrema pientur:  
Ut nemo pereat: nisi quenquam morte perisset  
Eius & intersit, quem morti destinat urna.

Hæc tibi Musa dicat nunc, ut sint ara virentis  
Semper amicitia: quam mutua deinde fovebunt  
Colloquia, illa notis chartas inscripta loquaces.  
Iamq; Vale: atq; viam, quam suscipis auspice Iovâ,  
Emetire poli comitatus gente ministrâ,  
Et cave, si ve bibes Rhodanum seu Tybridis amnem:  
Vnquam Gorlicii vel nostri obliviam potes.



Dop. 12. 1866.

AURELII  
PRUDENTII  
de  
**CHRISTI, DOMINI**  
&  
SALVATORIS  
nostri,  
**NATALI**  
**HYMNUM,**

qui  
inscribitur

ad

**IX. Calendas Januar.**

seorsim edit,

inq;

**ILLUSTRI AD NISSAM**

eundem

1. *Notis Philolog. illustrandum,*
2. *Paraphrasi Latina exprimendum,*
3. *Metaphrasi vernacula reddendum,*
4. *Heterosi variâ donandum,*
5. *Parodiâ justâ ad usum transferendum,*
6. *Ex promptâ memoria in pleno Eruditorum  
concessu recitandum,*

Anno clc Idc LXVI. D. XVII. Decembr.

P. P.

**M. CHR. FUNCCIUS, Rector GORLICENSIS.**

**GORLICII, Typis CHRISTOPHORI ZIPPERI.**

YYY088

